



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

Notæ in Monvmenta Paderbornensia Ex Historia Romana Francica  
Saxonica Ervta

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

N O T Æ  
I N  
M O N V M E N T A  
P A D E R B O R N E N S I A  
E X H I S T O R I A  
R O M A N A F R A N C I C A S A X O N I C A  
E R V T A



*M. Tullius Cicero in epist. ad Caesarem.*

Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor  
ad memoriam magis spectare debere posteritatis,  
quàm ad præsentis temporis gratiam.



## MONUMENTA PADERBORNENSIA.

**M**ONUMENTA. Laudabile semper fuit, antiqua patriæ decora monumentis publicis conservare, & restituere; pertinent enim monumenta primùm ad civitatum & regionum splendorem, & gloriam; eaq; de causâ Augustus, teste Suetonio in vita ipsius c. 29. cum publica opera plurima exstruxisset, *ceteros principes viros sepe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel resectis & excultis, Urbem adornarent.* Quantum deinde ad excitandos posteros valeant, ut majores imitari studeant, illustri experimento probat Sallustius de bello Jugurthino. *Sepe, inquit, audiavi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere; cum majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi.* Quod si præterea mirâ quadam dulcedine & voluptate cunctos patria ducit, quid ijs jucundius spectari legique poterit? demum defunctis ac bene meritis vitam præmiùmque reddunt: unde Horatius lib. IV. Od. VIII.

*Non incisa notis marmora publicis,  
Per quæ spiritus, & vita redit bonis  
Post mortem ducibus.*

**H**Æc prima monumentorum origo ex immortalitatis potentissimùm studio profecta, quod cum altè mortalium animis natura inseverit, vix ulla unquam natio reperta, in qua non aliquod eorum genus supersit; præcipuè verò Romanis sui suarumque rerum memoria, & fama diuturna curæ fuit.



fuit. Hinc tanta in Vrbe, provincijs & colonijs, veterum inscriptionum lapidumque copia. Ignoravit quidem antiqua nostra Germania literarum secreta; summopere etiam provinciam facere Augustus concupivit, verum etsi mox turpius amissa, quam gloriosè acquisita fuerit, attamen nec proprijs nec Romanis monumentis caruit. Fuère enim in eâ parte, quæ Paderbornensis Diœcesis finibus continetur, vetus ara Drusi, & Variandarum legionum tumulus: At quæ hæc rerum portio, quarum in Romanâ, Francicâ & Saxonicâ historiâ fit mentio, vestigia exstant, & magnitudo monumentum meretur?

2. PADERBORNENSIA. Cur monumenta hæc Paderbornensia inscribantur, exempla auctorum, qui vetera monumenta collegerunt, & ratio in promptu: nam in Diœcesi Paderbornensi loca omnia, quorum antiquitas & claritudo monumentis celebratur, sunt sita: de quo ne ullus dubitandi relinquatur locus, res postulare videtur, veterem Germaniæ Saxoniciæque divisionem paucis attingere, & Paderbornensis Diœcesis fines partésque nobiliores exponere. In populos primum Germania omnis pagosque dispersita fuit. Populorum regio proprium Latinum nomen in historiâ Romanâ non habet; pagos pro magnitudine plures paucioresque incolebant. Similis divisio in Saxoniam diutissimè permanfit. Poëta Anonym: l. i. a. 772.

*Sed varijs divisa modis plebs omnis habebat*

*Quot pagos, tot pene Duces.*

*Sed generalis habet populos divisio ternos,*

*Insignita quibus Saxoniam floruit olim:*

Ostfalos nimirum sive Osterlingos, Angarios & Westfalos; in quorum gentem noménque externis & civilibus bellis



bellis superstites inter Albim & Rhenum populi concesserant. Postquam vero Carolus M. gentem in avita superstitione pertinacem non sine multis expeditionibus, & maximo labore ad religionem Christianam perduxit, nova in Episcopatus & Dioceses cœpta distributio, & certi cuiq; limites designati. Adam. Brem. c. 8. & 9. hist. ecclesiastic. *Tunc demum Saxonia subacta in provinciam redacta est, quæ simul in VIII. Episcopatus divisa.* Sumpsit hæc Adamus ex diplomate Caroli M. in Ecclesiâ Bremensi asservato, & historiæ suæ inserto. *Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in provinciam redigentes, & inter Episcopos certo limite determinantes, Septentrionalem illius partem, quæ est piscium ubertate ditissima, & pecoribus alendis habetur aptissima, pio Christo, & Apostolorum suorum Principi Petro pro gratiarum actione devotè obtulimus: sibiq; in Wigmodiâ, in loco Bremon vocato, super flumen Virrahâ Ecclesiam & Episcopalem statuimus cathedram.* Huic Parochiæ decem pagos subjecimus. *Adhuc etiam summi Pontificis & Universalis Papæ Adriani præcepto, nec non & Mogontiæ Episcopi Lullonis omniumque qui affuere Pontificum consilio, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis Villehâdo probabilis vite viro, coram Deo & sanctis ejus commissimus. Et quia casus præteritorum nos cantos faciunt in futurum, nequis, quod non optamus, aliquam sibi in eadem Diocesi usurpet potestatem, certo eam limite fecimus terminari, eique hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluvium &c. firmos & intransgressibiles circumscribi iussimus. Signum Domini Caroli Regis invictissimi. Hildebaldus Archiepiscopus Coloniensis & sacri Palatii Capellanus recognovi. Dat. II. Julij, indict. XII. Anno autem regni Domini Karoli XXI. Actum Palatio Nemetensi.* Simillimum biennio ante, nimirum anno regni sui XVIII. Indict. VII. VI. Kal. Julij. Moguntia de



fundatione Ecclesiæ Ferdensis & finibus Diœcesis dederat : in quo ad propositum faciunt : *Terram autem eorum secundum antiquorum Romanorum morem in Provinciam redigentes, & in Episcopatus certo termino distribuentes, quandam Aquilonarem illius partem Domino nostro Iesu Christo, & sanctissima ejus Genitrici devotissimè obtulimus, & in loco Far duin vocato super Aleram fluvium in pago, qui dicitur Sturmi, Ecclesiam & Cathedram Episcopalem statuimus, & Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopatui, inter ventu Lullonis illius Metropolis Ecclesiæ Episcopi, eam subjecimus. Verum tamen, quia casus præteritorum præcios, & cautos reddunt futurorum, certo eam limite fecimus terminari. Terminos autem ejus firmos, incon vulsos, & per omne seculum incommutabiles Apostolicâ auctoritate & nostræ Regiæ Majestatis præcepto circumscribi præcepimus, id est, VVirrahâ fluvium &c.* Ex quo utroque diplomate, reliquos in Saxonia Episcopatus certis limitibus determinatos fuisse manifestum evadit, nec est dubium, fundationem finiumque designationem Pontificijs & Regijs literis ab initio fuisse confirmatam.

Paderbornensis quidem, uti ex antiquis documentis compertum, Moguntino, Colonienfi, Monasteriensi, Osna-brugensi, Mindano & Hildesienfi contiguus, atque extra ditionem ad utrumque Ecclesiasticum & sæculare Episcopi & Principis sui imperium spectantem, & tum variorum descriptionibus, tum tabulis geographicis satis cognitam, in Westphalicum Archiepiscopo Colonienfi subditum, & Brunsvicensem Ducatum, Principatum Hassiæ, & Corbejæ, Comitatum Waldecensem, Lippiensem, Ravensbergensem, Sternebergensem, Pymontanum, Spiegelbergensem, Ebersteniensensem, Homburgensem, Ritbergensem, & Dynastiam Schönebergensem latè porrectus, alios ex his totos,  
alios



alios verò majorem partem, aut non modicum eorum tractum, intra fines Diœcesis, sive jurisdictionis Ecclesiasticæ, comprehendit. Vnde propter amplitudinem necesse fuit, plures in ijs Archidiaconales sedes constituere, inter quas insigniores habitæ, Horehusana sive Eresburgensis, Huxariensis, Herivordiensis, Dethmoldiensis, Lemgoviensis, Helinghusana. Minimè igitur in monumentis Paderbornensibus aliena censi debent que, Variana clades, saltus Teutoburgensis, prælium Caroli M. apud Dethmoldiam, Eresburgum & Brunisberga, cum hæc loca nunquam alterius, quàm Paderbornensis Diœcesis fuerint,

## ALISO ROMANVS.

I. **A**LISO. Fluvij & castelli nomen est: fluvij apud Dionem Cassium l. 54. *Ex eo namq; barbari propius adire veriti, eminus tantum hostem infestare, ita ut Drusus vicissim ijs contemptis, castellum contra eos ad Lupia & Alisonis confluentes, aliudque in Chattis ad ipsum Rhenum exstruxerit.* Locis seu castelli apud Velleium lib. 2. *Lucij etiam Ceditij præfecti castrorum, eorumq; qui unà circumdati Alifone immensis Germanorum copijs obsidebantur, laudanda virtus est, qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni providentiâ usi, speculati que opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum.* Plura de Alifone Tacitus lib. 2. annal. memorat. *Cesar, dum adiguntur naves, Silium Legatum, cum expeditâ manu, irruptionem in Chattos facere jubet. Ipse audito, castellum Lupia adpositum obsideri, sex legiones eò duxit. Neque Silio, ob subitos imbres, aliud actum, quàm ut modicam prædam, & Arpi, Principis Chattorum,*  
conju-